

Autographum appellavi Diploma istud, utpote quod omnes gereret germanæ antiquitatis notas, immo Regali adhuc Sigillo, eoque intacto, muniretur: quæ res omnium efficacissimum esse solet indicium authenticæ Chartæ. Nihilominus animadvertas velim, *Indictionem Nonam* conjungi heic cum *Anno a Christi Incarnatione DCCCCV.* ac die *XV. Kalendas Julii*, quum tamen eo ipso Anno secundum vulgarem Epocham & usum procederet *Indictio Octava*. Propterea quum *Indictio Nona* diserte scriptum ibi sit, aut Ambrosio Cancellario, ejusve amanuensi, aut mihi describenti exciderit unitas in Anno, atque ibi restituendum arbitror *Annus DCCCCI.* Verum non omnes legitimam confectabantur viam consulendi per Principem Chartis suis deperditis. Erant, qui sine dolo malo amplectebantur olim oblatas sibi ab aliis Chartas spurias, aut scienter ac datâ operâ novas in locum veterum substituebant. Sed & alii fuere, in quibus perversa consilia suspicari liceat, quod apertis oculis fraudulentas falsasque pararent membranas, aut sibi ab aliis conscribendas curarent, ut aut male parta confectis iis titulis tuerentur, aut ementium decus inde sibi procurarent. Numquam enim desiderati sunt, qui suæ gentis, qui sui cœtus atque collegii, qui denique Familiæ suæ, suorumque Majorum originem, prærogativas, nobilitatem, aliasque dotes amplificatas ultra æquum concupierint, sibi que religioni minime duxerint, confectis etiam tabulis Populo persuadere, quod veris præstare non poterant. Ita & alios ad infelix idem studium excitavit lucri, & alienas res invadendi, aut malè parta conservandi cupiditas: a qua labe ne nostra quidem Sæcula immunita præstare quisquam audebit. Multæ quidem pœnæ olim Falsariis indictæ fuere, & inter Leges Langobardicas Guidonis Augusti, & veteres formulas ibi a me editas Part. II. Tom. I. Rer. Italicarum, cum Notarii dolosi, tum falsis Chartis utentes, damnantur. Quod si Charta quæpiam spuria ante Judices delata vitium suum prodebat, perforabatur, aut lacerabatur, ne in hominum commercium umquam postea remigraret. Vide Part. II. Tomi II. Rer. Italicar. pag. 508. nobile Placitum Romæ habitum Anno Christi DCCCCXCVIII. pro controversia inter Monachos Farfenses & Presbyteros Sancti Eustathii. Falsam Chartam producere Presbyteri. Tunc tenente Domino Abbate ipsam Chartam in manu, jussu Domni Leonis tulin Leo Arcarius sanctæ Apostolicæ Sedis cultum, & signum sanctæ Crucis in ea, abscondendo per medium, fecit, & reliquit in manu Domni Abbatis in conspectu omnium ibidem residentium &c. Verum ejusmodi Leges erant ad instar telæ, quam aranea fruit, quæ muscas quidem & culices facile capit, a volucrum verò pennis & alis nullo negotio dirumpitur. Itaque minores e Populo Lex & pœna interdum seriebatur, si quando falsa procudere, aut falsis uti in privatis litibus deprehendebantur: majores verò immunitate omnimoda heic fruebantur. Ac præcipue nemini creare molestiam mos fuit, ubi non lucri, sed gloriæ tantum causa imposturis indulgebant. Nunc audiam Fontaninum, qui in Vindiciis antiquor. Diplom. pag. 58. contendit: *Diplomata spuria ex antiquitus confectis nulla superesse*; cujus sententiæ rationem hanc adfert, nempe *multis pœnis in Falsarios variis temporibus animadvertum, qua vigilantia & rigore Chartæ suppositi-*

*tiæ obliteratæ & expunctæ fuerunt.* Hæc plane mira. Sed mirandum magis, contendisse illum, ut sententiam adeo enormem nobis persuaderet. Et profectò opus est homini, alioqui doctissimo, qui hæc pronuntiavit, ut nulla umquam patuerint Archiva. Tam enim certum est, quàm quod certissimum, ex iis pauca esse, quæ non aliquas suppositicias tabulas in sinu suo placcide teneant atque confoveant. Celebris hac in re, & Eruditorum calculo probata est assertio Clariss. Mabillonii, omnium gravissimi testis, Lib. 3. Cap. 6. de Re Diplomaticâ, *Collegia prope nulla, paucissimas Ecclesias, aut Familias immunes esse ab hac spuriorum Instrumentorum labe.* Idem quoque confirmavit doctissimus P. Germonius e Societate Jesu, qui ejusmodi argumentum pertractavit. Idem & ego experientiâ pluries didici. Plurima enim Italicarum Urbium Archiva ingressus, innumeras quidem Chartas reperi & evolvi, germanam originem procul dubio præferentes, at simul furis aliquid multis in locis commixtum animadverti. Potuissim sane ex hisce apocryphis multa colligere; sed certa dumtaxat monumenta venanti nil plerumque consilii & otii superfluit ad has etiam adulterinas merces mihi parandas.

Neque alicui subrepat, Archivi cujusquam tantam esse posse auctoritatem, ut quæcumque inde Chartæ prodeunt, aut ibi adservantur, legitimitatis minime dubiæ sigillum secum adferant. Nullum hercle Tabularium tam insigni Privilegio fruitur, quidquid Leguleji fomniantes scribant. Neque ipsa marmora, aut æræ tabulæ, quibus interdum inscripta visuntur veterum monumenta, & characteribus quidem vetustatem præ se ferentibus, certos nos facere semper queunt, germanos ibi foetus comprehendi. Testis Theodosianum Diploma, de quo mihi infra fermo erit, marmore insculptum: testis Edictum spurium Desiderii Regis Langobardorum Viterbii in marmorea tabula exaratum, quod frustra temporibus nostris Anni Viterbiensis successores dealbandum sibi susceperunt: testis denique Diploma Caroli Magni, quod in calce Dissertationis XXI. de *Italiae Statu* commemoravi, quamquam Turrigius nos moneat Part. 2. pag. 239. *delle sacre Grotte Vaticane*, ejus fragmenta in pariete Monasterii Romani Sanctorum Vincentii & Anastasii suo ævo superfuisse. Atque idem Turrigius ille est, qui pag. 503. ejusdem Libri, Diploma, si superis placet, Caroli Magni educit e Tabulario Capituli Canonicorum sacratissimæ Basilicæ Vaticanæ, evulgavit, cujus quidem & ipse vitia subolsfecit, nunc autem nemo est inter Eruditos, qui insulsam illic imposturam continuo non agnoscat. Ceterum quæ Leges & regulæ præito futuræ sint nobis ad distinguenda vera Diplomata a falsis, e supra laudati Mabillonii & Hickefi Libris unicuique petere licebit. Mihi in præsentia id unum propositum est, ut aliquid inuam de falsis, interpolatis, ac dubiis Chartis, quod fortasse minoribus ingenii usui aliquando esse possit. Jam Part. II. Tom. I. Rer. Italicar. indicavi, quot Diplomata aperte suppositicia in Chronico suo protulerit vetustus Auctor Chronici Sancti Vincentii ad Vulturum: quot etiam dubiæ fidei signa in aliis subluceant, illic ostendi, ut & Part. II. Tom. II. in Chronico Farfensi. Longe plura habes in Italia Sacra; neque enim Ughellio sat Criticæ, aut profectò non sat diligentia semper fuit ad fecernenda legitima-